

multum apud eos posse. Idem Joannis XV. dixit Dominus, cum ait: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos.*

XII. Ibi flos *amicitia*, id est, amicitia integerrima et solidissima cum omnibus sanctis et ipso Deo, siquidem sibi omnium corda pellucida erunt instar vitri: unde Apoc. XXI. civitas illa dicitur: *Aurum mundum simile vitro mundo.* «Non metuum suspiciones, ait S. Bernardus, serm. de triplici genere honorum, non timebo consilia, quia civitas illa, juxta Joannem, purissimo vitro similis erit: ut sicut per vitrum lucidissime ceruimus.» Erunt item ut aurum mundum, id est, purissimi amici: quale aurum in mundo saturum est. Plerique enim amici aurum sunt alchymicum, quod splendorem quidem auri habet, sed non virtutem et efficaciam, unde in medicamentis adhiberi non debet. Plurimos quidem invenies, qui ore se fatebuntur tibi amicissimos, sed ubi eorum operam requisieris, vel ope indigeris, statim tui obliviscuntur, et deceptum te videbis. Unde dicimus: Quod si vera et sincera amicitia tantum amicis parit jucunditatem in hoc mundo, ut Socrates dixerit, nullam esse possessionem pretiosorem vero bonoque amico, apud Laert. lib. II. quam jucundum erit in cælo cum tot sapientissimis et optimis viris perpetuo conversari? Ipse etiam Deus nunquam eos oblivisci poterit in æternum, aut odio habere, qui nec ipsi Deum odio habere poterunt, sed super seipsos, et super omnia alia ineffabili quadam suavitate amabunt, etc.

XIII. Ibi flos *millies pulchrum*, id est, summa pulchritudo. Si enim liliū agri vestit Deus plusquam Salomonem, quanto magis beatos? Inde hodie Ecclesia canit de sanctis in cælo illud Thren. IV. *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Sapphirus gemma cærulei coloris est, punctis quasi stellulis distincta, adeoque faciem representans firmamenti. Quanta ergo putatis erit pulchritudo sanctorum, sappiros omnes excedens? Quod si reges et principes in familia sua requirunt formæ decorem et elegantiam; et si juvenes qui stare dedebant in conspectu regum Babylonis, debebant esse decori forma, et sine omni macula, atque ob id prius regis epulis enutriti, ut legimus, Dan. I. quanto magis decet, ut quicumque in cælo stabunt coram Deo per omnem æternitatem, gloria et decore fulgeant?

XIV. Ibi herba *solatium oculorum*, et designat perpetuam sanitatem et vitam. Nulla ibi ægritudo vel mors, Isa. XXV. *Præcipitabit mortem in sæpiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam*

ab omni facie. Nullus ibi dolor, Apoc. XXI. *Abs terget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Quantum hoc oculorum solatium erit nihil amplius triste, sed omnia læta videre?

Quod si igitur vernum tempus et hortorum flores mire nos afficiunt, alliciuntque, ut fastidium recta, et egrediamur ad hortorum et pratorum amœnitatem intuendam, cur non item egredimur passibus desideriorum ex hoc mundi tecto ad conspectum cœlestium pratorum? Licet enim ea nondum oculis usurpemus, certissimis tamen argumentis quasi odoratu investigamus. Si cervi pasuorum ubertate allecti maria gregatim tranant, tametsi non vident terras, sed in odorem tantum earum natant, ut ait Plinius, lib. VIII. cap. XXII. cur non et nos cœlestium pratorum vel odore solo alliciamur ad tranandas difficultates interjacentes et progrediendum in via cœli? In benedictione Issachar ait Jacob patriarcha, Genes. XLIX. *Issachar asinus fortis, vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima: supposuit humerum ad portandam.* Quia ut ait S. Greg. lib. I. moral. cap. XVII. *Superna requie conspecta præceptis etiam gravibus in operatione se subjicit, et quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostendit.* Quando ergo saltem a longe videmus terram illam, quod sit optima, supponamus humerum ad portandum Christi jugum.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

- I. Tristitia excludenda. — II. Ad cœlum aspirandum.
III. In cælo mansiones parandæ. — IV. Progrediendum in via cœli.

THEMA.

Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor.
Joan. XIV.

Scribit S. Joannes, cap. XX. Christum redivivum sic apostolos suos affatum esse: *Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Christum misit Pater ad ea prædicandâ, quæ in mandatis dederat. Ita Christus ipsemet sapissime testatur, uti Joannis, cap. VIII. *Sicut docuit me Pater, hoc ego loquor vobis, a meipso non loquor.* Pari modo Christus mittit suos præcones ut aliud non doceant, nisi quod ipse inspirat. Unde quivis concionator legitime missus dicere posset suis auditoribus:

Verbo quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor: sed sicut docuit me Christus sic loquor. Probe notandum et ponderandum est auditores. Ut enim orator regis non suo auditur nomine, sed regis: et si displicentia loquatur, non ipsi imputatur, sed regi; ita omnino audiendus est Dei concionator. Quare ego ut alias soleo, ita et nunc non meam, sed Christi vobis doctrinam proponere aggredior.

I. Docemur tristitiam et perturbationem ab animo eliminare. Prævidit Dominus concutienda discipulorum corda mœrore et timore, tempore passionis. Ne ergo ex nimia perturbatione de fide prorsus dejicerentur, armat eos imprimis fide divinitatis suæ: *Creditis in Deum, et in me credite,* quasi dicat: Scitote me non solum hominem, sed etiam Deum esse, et proinde licet me morientem videritis velut hominem, credite me et Deum esse, qui meipsum a morte suscitare possim. *Mortem metuitis huic formæ servi,* inquit Sanct. Augustinus, *non turbetur cor vestrum: suscitabit illam forma Dei.* Secundo, munit eos spe æternæ gloriæ laboribus eorum destinata: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt,* ad quas parandas a vobis nunc discedo. Iisdem argumentis pellenda nobis est perturbatio e corde nostro.

Primo, clypeo fidei, si oculos in Deum velut revera præsentem nosque intuentem conjiciamus. Hoc utebatur Moyses, cum Deo jubente eduxit Hebræos ex Ægypto credens se per Dei opem evasurum manus Pharaonis: *Fide reliquit Ægyptum,* inquit apostolus, ad Hebr. XI. *non veritus animositatem regis; invisibilem enim tamquam videns, sustinuit, id est, perinde, quasi vidissent eum, qui est invisibilis: ita sustinuit persecutionem Pharaonis, expectabat enim a Deo certam opem et mercedem: hoc utebatur Elisæus, cum ab exercitu Syrorum circumdatus et jamjam capiendus, nihil prorsus timuit sed ministro suo dixit: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis,* IV. Reg. VI. in quæ verba S. Ambros. serm. LXXXVI. ait: *Plures e cælo defensores meretur sanctitas, quam in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Vidit enim propheta circa se exercitum equorum et curruum igneorum, qui sine dubio erant angeli. Nullus ergo labor, nulla difficultas vel discrimen de animi tranquillitate dejicere nos debet, cum sciamus ubique præsentem nos habere Deum et angelos ejus.*

II. Clypeo spei. Ut enim alia nobis omnia adiuantur, cœlum saltem, quod omnibus illis majus est, adimi non poterit. Alexander Magnus antequam in Asiam transiret, immunitates, redditus, agros, pagos suos amicis donavit in Macedonia. Cum autem Perdicas amicorum unus ei diceret: *Omnia dando quid tibi retinebis?* resp.

Spem bonaque Persarum. Spe enim ingenti fretus, sua esse ducebat, quæ adhuc in potestate hostium erant. Ad hanc ejus vocem Macedones, spretis ejus muneribus sola spe contenti cum ipso mansarunt, Plutarch. in Alexandr. Major et securior est spes nostra: ergo si omnibus mundi bonis exuamur, adeoque ex ipso mundo pellamur, non turbetur cor nostrum; superest nobis spes, bonaque cœlestia: si nullus in orbe locus nobis, ubi manere possimus, concedatur, attollamus ad cœlum oculos et dicamus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quis eas mihi tollet invito? Si patrem habemus in cælo, quomodo nos inde excludet? Si mansiones multæ ibi, quomodo non et pro me una supererit? Symphorianus adolescens sub Aureliano imperatore ad martyrium cum raperetur et vocem matris audiret: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice et tibi regnantem intueri, tibi enim vita non eripitur, sed in melius mutatur:* inde confortatus, fortiter datis cervicibus, subiit martyrium. Potuit hoc vox matris, et non possit idem vox Christi?

Docemur secundo, toto corde ad cœlum aspirare. Eo nos vocant primo, verba Christi: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* secundo, verba Philippi: *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis.* Hic enim audimus primo, veras cœlo, et proprie dictas mansiones nobis paratas esse. Dicuntur Hebræi, Num. XXXIII. per quadraginta tres mansiones pervenisse ad terram promissionis; sed eæ mansiones, non tam mansiones, quam perfectiones (uti vocantur Hebr. Exod. XVII.) seu stationes erant. Unde Ecclesia suas vigilias, et quadraginta dierum jejunia, stationes vocat, ut insinuet nobis, pergere nos ad mansiones cœlestes, nec manentem in hoc mundo quærere civitatem. Errant ergo, qui in terris mansionem sibi quærunt, dicentes: Modo hic manebimus per tot annos; modo ibi per tot alios, etc. Vita enim nostra continua peregrinatio et stationum mutatio est, qualis Hebræorum in deserto, quæ paucis annis absolvitur. Homo: *Fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet,* Job. c. XIV. Umbra semper declinat et fugit nobis licet inadvertentibus, ita vita nostra; umbra retineri nullis creatis viribus potest, uti nec ipse sol, ita vita nostra; Umbra quanto ad vesperam longior est, tanto fini et extinctioni suæ propinquior, ita vita nostra; umbra nunquam in eodem statu permanet, semper rotatur, et aliam atque aliam horam monstrat in horologio; ita vita nostra, nunc læta nunc tristis, nunc abundans, nunc egens, nunc sana, nunc languida, nunc civica, nunc rustica, nunc bona, nunc mala. Vera igitur et propria mansio in cælo tantum nos expectat.

Audimus secundo, multas in cœlo mansiones esse, multas inquam et diversas pro diversa inhabitantium dignitate et merito, ut exponunt S. Hilarius, Augustinus, Cyrillus, Basilius, Gregorius: *Si dispar retributio*, inquit iste, lib. IV. dial. c. LV. *in illa beatitudine non esset, una potius mansio, quam multæ essent*: et Tertullianus, in Scorpiano: *Quomodo*, inquit, *multæ mansiones apud Patrem. Si non pro varietate meritorum?* Probatur primo, ex disparitate meritorum: *Unus enim parce seminat, parce igitur et metet; unus seminat in benedictionibus, in benedictionibus ergo et metet*, II. Cor. IX. *Aliud semen affert fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum*, Matth. XIII. Secundo, in inferno dispare pœnæ sunt: *Peius erit tibi Capharnaon quam Sodomæ*, Matth. XI. ergo et in cœlo dispare erunt coronæ. Tertio: *Beati erunt sicut angeli Dei in cœlo*, Matth. XXII. Inter angelos autem et choros eorum certi gradus sunt. Quarto, quia hoc ad cœli empyrei pulchritudinem spectat, ut sicut in firmamento est alia claritas solis, alia lunæ et alia stellarum: *Stella enim a stella differt in claritate*, sic etiam sit beatorum in cœlo, ut docet apost. I. Cor. XV. Quare studeat unusquisque meritis excellere, ut præstantiorem et sublimiorem mansionem accipiat in cœlo.

Audimus tertio, omnes in cœlo beatos a conspectu Dei satiari, ita ut nihil illis desit vel desiderari ab ipsis queat, quod non habeant: *Ostende nobis Patrem*, inquit Philippus, *et sufficit nobis*. Idem etiam psaltes dixerat: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, Ps. XVI. ideo Hebræi Deum vocant *sadaï*, id est, sufficientem, quia et ipse sibi et omnibus creaturis sufficit. Nihil est in mundo, quo obtento dicere possimus: *Sufficit nobis*, solum et unicum bonum Deus est, quo viso omnia habemus, quæ desiderare possumus. Non dubito, si tibi daretur videre et habere omnia, quæ in oceano sunt, quin tu diceres: *Sufficit mihi*, sat habeo divitiarum, sat habeo deliciarum. Videbo ibi innumera et mirabilia monstra, eorumque pugnæ: videbo aurum et argentum, gemmas et margaritas, corallium, aliaque infinita: sed quid oceanus respectu Dei, in quo omnia absolute continentur eminenter? Ac licet, uti diximus, alter alterum in cœlo dignitate superet, omnes tamen sua parte ita contenti sunt, ut alteri non invideant, nec ejus gloriam appetant. Omnes enim eundem Deum vident sicut nos omnes eundem solem; tametsi eum alius alio melius penetrat, et plura in eo videt; quia gloria cujusque capacitati ejus commensurata est, velut si filii plures in mensa patris sedeant, et singuli ante se suum vini poculum habeant, minores minora, majores majora, prout ætas et statura singulorum exigit.

In quo casu minor non appetet poculum majoris, quia non posset exhaurire. Accedit mutua charitas et voluntatum consonantia, qua unusquisque de proximorum gloria ita gaudet, ac si ipsi propria esset. Unde Sanctus Gregor. in Job, cap. III. ait: « In iisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors quia tanta vis amoris in illa pace non sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. »

III. Docemur nobis in cœlo mansiones præparare. Eas quidem Christus paravit nobis meritis et passione sua (ideo ante Christum nemo hominum in cœlum admissus est), easdem tamen et ipsi parare nobis debemus, applicando nobis merita Christi. Causa universalis non excludit particularem, sed requirit. Ita sol et homo generant hominem, sol ut causa universalis, homo ut particularis. Unde Michæas, c. II. de Christo prophetavit: *Ascendes pandens iter ante eos*, Hebr. habetur *portæ*, id est, *fractor et perruptor*. Christus primus effractor prævit, et perrupit cœli portam: post ipsum nos ascendere, et quæ nos adhuc impediunt obstacula, perrumpere debemus, per penitentiam et bona opera: ad hoc enim faciendum acquisivit Christus, et subministrat nobis vires. Frustra ergo ad mansiones illas aspirat, qui ad eas sibi parandas manus non admovet. Id B. Ægydius urus ex primis S. Francisci sociis urbano joco docuit duos cardinales, qui rogarant ipsum, ut pro eis Deum precari vellet. Respondit enim: *Quin vos me potius precibus vestris commendatum habete, qui majori fide ac spe præditi estis; illis autem seiscitantibus, quinam id fieri posset?* « Vos, inquit, divitiis, honoribus omnibusque mundi prosperitatibus affluentes, haud dubium vobis salutem promittitis? Ego vero in miseria extrema, mendicitate et rebus duris damnationem formido. » Sur. 23. apr. Idem multis delicatulis dicere possent boni Capuccini. In vita S. Joannis Eleemosynarii, apud Leont. c. XXVI. legimus Troilo episcopo ostensam in somnio domum amplissimam, cum hac inscriptione: *Mansio æterna et requies Troilli episcopi*. Dederat enim is pauperibus triginta libras argenti. At quia postea facti pœnitens recepit argentum a Joanne Eleemosynario, vidit mox in altero somnio, amoveri titulum illum, ejusque loco reponi hunc: *Mansio æterna et requies Joannis archiepiscopi Alexandriae, empta libris triginta*. Videtis ergo bonis operibus et imprimis eleemosynis parari in cœlo mansiones; frustra alias sperari. Nunc quare Philippus et Jacobus mansiones sibi pararint, videamus. Philippus certe primo, ardebat amore proximi. Vocatus enim a Christo ad seque-

lam, mox adduxit Nathanaelem, ut et ipse Messiam agnosceret, Joan. I. Secundo, ardebat amore patriæ cœlestis et desiderio videndi Deum, ut in hodierno evangelio audivimus: *Domine ostende nobis Patrem*. Tertio, fuit candidus et misericors, pro indigentibus sollicitus: quæ causæ videntur fuisse, cur Dominus, Joan. VI. pasturus quinque panibus quinque millia hominum, interrogaverit Philippum: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Quarto, fuit modestus et cautus in agendo. Idcirco enim cum gentiles ab ipso peterent Jesum videre, Philippus, quia Christi ignorabat voluntatem, rem prius eam Andrææ communicavit, unaque cum ipso Christo retulit, Joan. XII. Quinto, strenue pro evangelio laboravit annis decem post passionem Christi, excolendo Asiam superiorem partemque Scythiæ et Phrygiæ. Sexto, Hierapoli Phrygiæ pro Christo crucifixus et lapidibus obrutus est.

Jacobus vero episcopus Jerosolymorum a Petro, Joanne et Jacobo majore constitutus miræ imprimis sanctitatis fuit, ita ut ei soli concederetur (quod alias summi tantum pontificis erat) ingredi in Sancta sanctorum, ut simbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere. Ob eandem sanctitatem etiam hostibus venerationi fuit. Vult enim Josephus Judæus, licet perperam, in ultionem necis ejus Jerosolymam excisam esse, l. XX. antiq. c. VIII. Secundo, tam assiduus in flectendis ad orationem genibus erat, ut ea callum velut pellem cameli induxerint. Tertio, miræ abstinentiæ fuit, vino, sicera et carne abstinuit: nunquam tonsus, nunquam balneo aut unguento usus est, lineis tantum vestibus indutus.

Quarto, pro evangelio et Ecclesia Jerosolymitana laboravit triginti novem annis post Christi passionem. Quinto, ob fidei confessionem primum e pinna templi præcipitatus, deinde, lapidibus appetitus, ac demum fullonis vecte percussus in capite occubuit. Sexto, moriens pro interfectoriis suis, Christi exemplo oravit: *Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt*. Debuerunt igitur hi duo magni Christi amici sibi in cœlo mansiones ædificare, et ad eas extruendas præter aurum et argentum præstantium virtutum, præter diuturnos et continuos labores, comportare ligna et lapides, hoc est, lapidari, cruce et iuste necari; qua fronte nos speramus palatium in cœlo, qui manus in sinu gerimus? *Hæc dicit Dominus exercituum*, inquit Aggæus, cap. I. *Ponite corda vestra super vias vestras; ascendite in montem, portate ligna et ædificate domum, etc.*

IV. Docemur et monemur proficere in schola Christi et progredi in via cœli. Eo enim spectat illa Christi exprobratio: *Tanto tempore vobiscum*

sum, et non cognovistis me? Tribus annis Christus cum discipulis suis fuit; at nobiscum longe diutius est, cum aliis triginta, cum aliis quinquaginta annis, et tamen videtur a multis necdum agnosci. Tribus modis Christum agnoscere in terris possumus, in sacramento eucharistiæ, in pauperibus, in prælatis et superioribus. At quam multi stant et sedent coram venerabili sacramento, quasi Christum ibi non agnoscant? Quam pauci in pauperibus Christum reverentur, qui tamen dixit, Matth. XXV. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Denique, si in superioribus Christum aliqui agnoscerent, eis non detraherent et resisterent. Rursum Christus ait, Joann. XIV. *Ego sum via, veritas, et vita*. Quid amplius desiderare possumus? Ad felicitatem omnes contendimus: ecce nobis vita est, eaque æterna omnium honorum aggregatione perfecta, velut viæ terminus. Deinde, medium quærimus ad vitam perveniendi: ecce nobis via est, per doctrinam et exemplum suum. Denique, certi et securi esse volumus, de via et viæ termino; ecce nobis veritas est. Jam vero si plurimorum Christianorum conversationem, et vivendi rationem exploremus, deprehendimus, primo, non agnosci ab eis, Christum velut vitam, siquidem per mortem ad Christum venire timent et quantum possunt, refugiunt. Secundo, nec agnosci ut veritatem, quia non fidunt ejus verbis et promissionibus. Et vero si hoc facerent catechumeni, vel qui nuper ad Christum conversi essent, excusationem forte haberent. At cum faciant ii, qui tamdiu in schola Ecclesiæ sunt, tot conciones audiunt, tot pietatis exempla vident, tot fidei argumenta cernunt: quis eos excusabit? Sane in primitiva Ecclesia plerique ad unam concionem, confessionem, communionem toti immutati et ita sanctificati sunt, ut constanter pie vixerint: nunc e quam plurimis nihil pene fructus capitur.

CONCIO VIII.

MYSTERIA.

I. Cur animentur discipuli hac voce: *Non turbetur cor vestrum?* — II. Quomodo armentur? — III. Quomodo suis Christus locum præparavit? — IV. De quo adventu loquatur Christus? — V. Quomodo Christus via, veritas, et vita? — VI. Cur a nobis fidem exigit? — VII. Cur ait Philippus: *Ostende nobis Patrem et sufficit, etc?* — VIII. Quomodo in Christo videri potuit Pater? — IX. Quomodo in Christum credentes paria vel majora fecerunt miracula?

THEMA.

Non turbetur cor vestrum. Joan. XIV.

Cyeni, ait Plato, in Phædone, quando se brevi præsentiant morituros, tunc dulcius canunt. Candidissimus noster cœlestisque cyenus Christus, prævidens se paulo post e mortali vita migraturum, dulciores solito sonos edidit: cum videlicet in ultima cœna suavissimo sermone discipulos suos erexit consolidavitque. Ex eo porro desumptum est hodiernum evangelium plenum dulcissimis vocibus. Sonet igitur, o cœlestis cyene, vox tua in auribus nostris; vox enim tua dulcis.

I. Cur animat et quodammodo armat Dominus discipulos ea voce: *Non turbetur cor vestrum?* Respond. quia multa illis prædixerat, quæ partim mœrorem animi, partim etiam timorem injicere illis poterant, indeque perturbationem afferre. Dixerat enim eos a dæmone postulatos ut cribarentur; dixerat se a Petro negandum, ab uno ex ipsis prodendum; dixerat ab illis se discedere: *Filioli adhuc modicum vobiscum sum;* dixerat imminere eis periculum: *Qui non habet, vendat tunicam et emat gladium.* His igitur auditis monet eos, ne perturbarentur et animis concidant, sed fortiter in prælium descendant, et tela omnia generoso animo excipiant.

II. Quomodo eos armat? Resp. scuto fidei et galea spei. Fide, cum ait: *Creditis in Deum et in me credite,* q. d. scitote quia Deus sum omnipotens, et possum vos ex omnibus eripere periculis: et cum ad mortem me duci videritis, volentem duce credite, siquidem Deus homo factus non potest mori invitus: cum in crucem me actum videritis, confidite me a morte propria virtute resurrecturum tertia die: quia facile est Deo, qui creavit hominem, eundem resuscitare mortuum. Præviderat Dominus acrem hiemem passionis suæ quæ discipulis abreptura erat virentia folia confessionis fidei: monet ergo ut saltem intrinsecus et in radice conservent fidem. Quod discipulis dicit, nobis omnibus dicit: ut nimirum

CONCIO VIII.

adversus animi perturbationes clypeum fidei objiciamus, ac cum Josue in altum levemus contra hostes nostros, donec debellantur, Jos. VIII.

Spe, cum addidit: *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* Multæ sunt secundum D. Cyrillum, quia cœlum amplissimum et capacissimum: secundum D. Hilarium, quia diversi gradus pro diversis singulorum meritis: tametsi in denario beatificæ visionis omnes conveniunt. Ita omnes stellæ in cœlo sunt, una tamen altera major et lucidior est. Una omnium mansio, cœlum est: sed in eo plurimæ et diversæ mansiunculæ, sicut in eodem monasterio plures cellulæ. Confirmat hanc spem Dominus, subjiciens: *Si quominus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum,* q. d. si non essent mansiones, dixissem vobis utique: nunc enim in eo versor, ut præparem eas vobis, per merita et mortem meam. Bono igitur animo sint, quicumque hic per angustam virtutis viam gradiuntur, siquidem ibi devenient ad spatia cœli amplissima: ubi non arctabuntur gressus eorum.

III. Quomodo præparavit Christus locum discipulis? Respond. primo, præparasse inchoate per merita et passionem suam, quibus eas lucratus est et veluti spolia obtinuit. Sic pater filiis domum parat, cum militiam sectatur et prædas agit, ut illis dotem tribuat.

Secundo, complete, cum in cœlum ascendit cœlique portam clausam aperuit, eoque secum veteres patres duxit: tametsi vero regnum cœlorum dicitur paratum esse justis a constitutione mundi, Matth. XXV. per creationem videlicet: novo tamen modo paratum est, cum Christi sanguine illis acquisitum, ac denique cum reali possessione occupatum. Sciendum tamen est, non ita a Christo paratas esse mansiones illas ut ignavis et imparatis dentur, sed paratis tantum, juxta id Matth. XXV. *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias:* et Matth. XXIV. *Estote parati, quia quæ hora non putatis, Filius hominis veniet.*

IV. De quo adventu loquitur Dominus cum ait: *Iterum veniam et accipiam vos meipsum?* Respond. loqui tam de adventu in morte discipulorum, quo illorum animas ad cœlum translaturus erat: quam de adventu in ultimo judicio, quo non solum animas, sed et corpora eorum glorificata ad cœlum evecturus.

V. Quomodo Christus via, veritas et vita est? Respond. primo, esse viam quia per ejus merita, doctrinam et exempla ad cœlum imus: veritatem, quia nec falli potest, nec fallere: vitam quia mortem superare, non vero ab ea superari potest.

Voluit Christus hac sententia sic intellecta confirmare et consolari discipulos, mox in passione ab eis discessurus.

Secundo, quia est dux seu dux, ducens nos per fidem, ad beatitudinem. In primo via, in secundo veritas, in tertio vita. Græce adduntur tres articuli, scilicet: *Ego sum illa via, illa veritas, illa vita;* ut ostendatur esse sublimis ille et cœlestis doctor, qui sublimem et cœlestem affert doctrinam necnon ad vitam cœlestem et immortalem ducit.

Hinc rapi jure debemus non solum in admirationem sapientiæ divinæ, quæ omnia novit et vidit neque falli potest, denique ad veram vitam ducit; verum etiam in vilipensionem sapientiæ nostræ, quæ cæca, mendax inanis atque inutilis est respectu illius divinæ, ita ut ne formicæ quidem naturam, formationem, indolem, vitam, ætates cognoscere possimus.

VI. Cur a nobis fidem, qua tam sublimia et captum nostrum excedentia credi voluit Deus, exigit dicendo: *Creditis in Deum, et in me credite?* Respond. primo, ut captivantes intellectum nostrum in obsequium fidei, illum totum Deo subjiciamus, et agnoscentes imbecillitatem mentis nostræ ac divinæ sapientiæ altitudinem, Deum sic honoremus.

Secundo, ut mens nostra sursum erigatur, et ad divina elevetur. Si enim Deus non proponeret ea, quæ captum humanum excedunt, mens non attolleretur sursum, sed in suo grado et infima sorte maneret, neque ad Dei visionem disponeretur: fides enim supernaturalium media est inter cognitionem naturalem et visionem beatificam.

Tertio, quia cum vita æterna sit supra naturam, ea quoque quæ ad illam ducunt, debent naturæ captum superare. Hinc tantopere donum Dei in Scripturis commendatur, et ex divina illustratione haberi dicitur.

VII. Cur Philippus ait: *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis?* Resp. primo, ex S. Cyrillo, quia existimabat, si Patrem, eo quo videri poterat modo, videret (sive oculis corporis, sive mentis) se jam beatum fore, nec aliquid præterea desiderare posse, nec malle, essentialis enim beatitudo in Dei visione consistit, quæ proinde sufficit beatis: *Ignis (cupiditatis terrenæ) nunquam dicit: Sufficit, Proverb. XXX.*

Secundo, quia ut exponit idem Cyrillus, existimabat se, et condiscipulos satis fore armatos contra omnes tentationum incursus et ad repellendas Judæorum obtrectationes, si Patrem Christi viderent.

Tertio, ex S. Chrysostomo, ne videretur inter-

rogando molestus esse Christo, hoc unum sibi dici postulabat, postea acquieturus.

Quarto, ex S. Hilario. lib. VII. de Trinit. sufficit nobis ad fidem servandam.

Quinto, ex card. Toletio, sufficit nobis ad pellendum mœrorem et tristitiam.

Sexto, ex Ruperto, jam nihil superest, nisi ut Patrem nobis ostendas, nam de te sufficit nobis.

VIII. Quomodo in Christo videri potuit Pater? Respond. primo, ex Toletio, quia Pater idem est cum Filio secundum naturam divinam, prout mox subjecit Dominus: *Non credis, quia ego in Patre et Pater in me est?* Qui ergo vidit Filium, vidit etiam Patrem: sed hunc ratione naturæ tantum divinæ, illum vero etiam ratione personæ.

Secundo, ex S. Augustino, tract. LXX. quia Filius est perfectissima Patris imago: « Qui videt, inquit hic doctor Ecclesiæ, me videt et Patrem, non quod ipse sit Pater et Filius; sed quod tam similes sunt Pater et Filius, ut qui unum noverit, ambos noverit. Solemus enim de duobus similibus ita loqui eis, qui unum illorum vident, et qualis sit alius, volunt nosse, ut dicamus: Vidistis istum? Illum vidistis, etc. » S. Athanasius, sermon. IV. contra Arianus hoc declarat: « Quippe cum in Filio sit et conspiciatur Patris divinitas. Quod exemplo regis imaginis commedius intelliges; quandoquidem in imagine species regis et forma apparet, et in rege imaginis species: sine enim omni discrepantia vultus regis in imagine expressus est, ut qui videt imaginem, videat in ea regem, et vicissim. »

Tertio, quia ex doctrina et miraculis Christi elucebat deitas Patris in et cum ipso operantis. Unde subdit Dominus: *Verba, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera.* Id vero hic suo loco fusius explicavimus.

IX. Quomodo credentes in Christum paria vel majora etiam fecerunt miracula, quam ipse? Resp. primo, secundum originem miracula spiritalia, quibus, v. g. illuminantur gentiles, convertuntur peccatores, vincuntur a justis dæmones, majora esse quam corporalia.

Secundo, Ecclesiæ haud dubie apostolorum et aliorum miracula, quæ majora censi possunt et miraculis Christi, tametsi ea scripta non sunt. D. Augustin. tract. LXXXII. majus credit fuisse, umbræ transitu, quod fecit Petrus, quam fimbriæ tactu, quod fecit Christus, sanare ægrotos. Et quis non credat majus esse mirum, quod S. Stanislaus Petrum quemdam triennio sepultum a mortuis excitavit: Sanctus Maclovius gigantem